

quod quaestio supra proposita dissertis verbis affirmat. Die ganze so genannte Christenheit sollte mit ihrer ganzen Verfassung zu Grunde gehen. Liberent itaque se, qui de revelationibus immediatis adhuc hodie non negandis adeo magnifice hactenus praedicarunt, liberent, inquam, se ab exceptionibus fanaticorum, utpote quibus praemissas aliquas concedere, & conclusiones negare non sufficiet: Ostendant, si hi non sint quibus contingat ista immediata inspiratio & revelatio, quinam sint illi, aut hactenus fuerint, nam tantam rem & prorsus admirabile opus DEI si detur in angulo abdito geri aut celari debere vel posse, minime omnium habemus nobis perswasum.

§. VI.

Quanquam igitur dudum a nostratis multis argumentis evictum sit, non dari O ECONOMIA M DEI praeter eam quam a clauso canone ad nostra usque tempora accurate observavit, consistentem in publica verbi divini predicatione, nunc solenniori nunc minus solenni per ordinarium ejus ministerium; tamdiu tamen ulteriori onere probandi supersedere possumus, donec ipsis dissentientibus inter se convenerit, in quo oeconomia nova facta *consistere beat*, quando *incipiat*, qualibus *instrumentis* ibi opus sit, quaenam sint illa *judicia*, quorum crudelitate praefens oeconomia tolli beat, & in aliam prorsus *commutari*? *quaenam doctrinae auferenda*, & *quae illis sublati in locum sufficienda* sint? de quorum & plurium momentorum certitudine ante omnia elaborari debebit. Indicia coeterum a DEO varia immitti posse propter *impoenitiam* satis multorum, *contemptum* evangelii, Numinis *cultum* satis frigide institutum, aliaque *Scandala*, nemo pius negaverit: Inter ea judicia etiam evenire interdum, ut publica purioris doctrinae praedicatio aut ex provinciis nonnullis

D 2

suspen-